

DIE 21 IANUARI
S. AGNETIS
AD VESPERAS
DUPLEX

Super Psalmos Ant. VIIb



Ingréssa Agnes turpi-tú-di- nis locum Ange-lum Dómi-ni præpa-



rá-tum invé-nit. *Ps.* Di-xit Dóminus. E u o u a e.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: *
sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, *
scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet
Dóminus ex Sion: * domináre in
médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die vir-
tútis tuæ in splendóribus sanctó-
rum: * ex útero ante lucíferum
génui te.

Iurávit Dóminus, et non pæni-
tébit eum: * Tu es sacérdos in
ætérnum secúndum órđinem
Melchisedech.

Dóminus a dextris tuis, *
confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natió nibus implé-
bit ruínas: * conquassábit cápita
in terra multórum.

De torrén te in via bibet: *
proptérea exaltábit caput.

Glória Patri.

Psalmus 112

Laudáte púeri Dóminum: *
laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedí-
ctum, * ex hoc nunc, et usque in
sæculum.

A solis ortu usque ad occá-
sum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dó-
minus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus nos-

ter, qui in altis hábitat, * et humí-
lia respicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et
de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus,
* cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in
domo, * matrem filiórum lætan-
tem.

Glória Patri.

Psalmus 121

Lætatus sum in his quæ dicta
sunt mihi: * In domum
Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in
átriis tuis, Ierúsalem.

Ierúsalem, quæ ædificátur ut
cívitas: * cuius participátio eius
in idípsum.

Illuc enim ascenderunt tribus,
tribus Dómini: * testimónium
Israel ad confiténdum nómini
Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in iudí-
cio, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt
Ierúsalem: * et abundantia dili-
géntibus te.

Fiat pax in virtúte tua: * et
abundantia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próxi-
mos meos * loquébar pacem de te:

Propter domum Dómini Dei
nostri * quæsívi bona tibi.

Glória Patri.

Psalmus 126

Nisi Dóminus ædificáverit do-
mum, * in vanum laboravé-
runt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodiérit civi-
tátem, * frustra vígilat qui cus-
tódit eam.

Vanum est vobis ante lucem
súrgere: * súrgite postquam
sedéritis, qui manducátis panem
dolóris.

Cum déderit diléctis suis som-
num: * ecce heréditas Dómini fi-
lii: merces, fructus ventris.

Sicut sagítte in manu poténtis: *
ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desi-
dérium suum ex ipsis: * non con-
fundétur cum loquétur inimícis
suis in porta.

Glória Patri.

Psalmus 147

Laudá Ierúsalem Dóminum: *
Lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras
portárum tuárum: * benedíxit
filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: *
et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum ter-
ræ: * velóriter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: *
nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut

buccéllas: * ante fáciem frígoris
eius quis sustinébit.


Emíttet verbum suum, et
liquefáciet ea: * flabit spíritus
eius et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum
Iacob: * iustítias et iudícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni: *
et iudícia sua non manifestávit eis.
Glória Patri.



Ingréssa Agnes turpi-tú-di- nis locum Ange-lum Dómi-ni præpa-



rá-tum invé-nit.

Capitulum

Eccli. 51

Czytanie


Syr 51, 1-3

Confitebor tibi, Dómine rex,
et collaudábo te Deum
salvatórem meum. Confitebor
nómini tuo, quóniam adiútor et
protéctor factus es mihi, et liberá-
sti corpus meum a perditióné.

Wyznawać ci będę Panie
królu, i będę cię chwalił
Boga zbawiciela mego. Będę
wyznawał imię twoje: boś mi się
stał pomocnikiem i obrońcą, I
zachowałeś ciało moje od zgi-
nienia.



Hymnus VIII



Vir- ginis pro-les, o-pi-féxque Matris, Vir-go quem gessit, peperít-



queVirgo, Vírginis fe- stum cá-nimus be- á-tæ, Acci-pe vo-tum.

Hæc tua Virgo dúplici beáta
Sorte, dum gestit fráguilem domáre
Córporis sexum, dómuít cruéntum
Córpo-re sæclum.

Unde nec mortem, nec amíca mortis
Sæva pænárúm génera pavéscens,
Sánguine fuso mérúit sacráta
Scándere cælum.

Huius obténtu, Deus alme nostris
Parce iam culpís, vítia remíttens,
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.

Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

Versiculus

∩: Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Ɱ: Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.


Ad Magn. Ant. IVa



Ecce quod concu-pí-vi iam ví-de- o, quod spe-rá-vi iam té-



ne-o: illi sum iuncta in cæ-lis, quem in terris pó-si- ta to-ta



devo-ti- ó- ne di- lé-xi. C. Magní-ficat. E u o u a e.

Canticum B. Mariæ Virginis

Luc. 1, 46-55

Magníficat * ánima mea Dó-
minum.

Et exultávit spíritus meus * in
Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem
ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc
beátam me dicent omnes genera-
tiones.

Quia fecit mihi magna qui po-
tens est: * et sanctum nomen eius.

Et misericórdia eius a progé-

nie in progénies * tíméntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio
suo: * dispérsit supérbos mente
cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, *
et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * et
dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel, púerum suum, *
recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres
nostros, * Abraham, et sémini
eius in sæcula.

Glória Patri.

Kyrie eleison.

Pater noster.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius ut, qui beatæ Agnétis Vírginis et Már-

tyris tuæ solémnia cólimus, eius apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus per ómnia sæcula sæculórum.

℞: Amen.



Benedi-cámus Dó-

mi-no. ℞ De-o

grá- ti- as.